

Cap. L. Rubrica de possessionibus et terris
perticandis. R.ca.

Statuimus quod quelibet venditio sive permutatio, que fiet per aliquam personam in civitate vel districtu sive dyocesi Tergesti de aliqua possessione, excepto quam de domibus, fieri debeat ad mensuram pertice comunis Tergesti, et possessio vendita sive permutata perticari debeat cum pertica comunis predicti, sub pena libr. vigintiquinque par. comuni Tergesti componenda tam per emptorem quam per venditorem sive permutatores contrafatientem vel contrafatientes et vice qualibet contrafacta. ¶ Si vero aliqua persona locaverit alicui aliquam terram ad pastinandum ad medietatem, quod ipsa terra, antequam in ea fiat aliquod factumen, etiam perticari debeat cum pertica comunis, sub pena decem libr. par. tam pro locatore quam pro ductore componenda.

Cap. LI. Rubrica de melioramento alicuius
possessionis et de regressu habendo
super ipsam.

Statuimus quod, si qua persona civis vel habitatrix civitatis Tergesti emisset seu emet aliquam possessionem ab aliqua persona in civitate vel districtu Tergesti, et persona emens modo aliquo talem possessionem emptam melioraverit, // et si qua persona alia creditrix ipsius persone vendentis seu que vendidisset ipsam possessionem unam vel plures, vel persona actrix pro debito seu debitis talis persone vendentis, sive que agere vellet contra vel super talem possessionem venditam occasione alicuius promissionis fideiussionis vel obligationis relevationis sive alterius promissionis facte de defendendo et vuarentando, vel alio quocunque modo vel causa regressum habere voluerit pro aliqua indempnitate super ipsa possessione emptam, quod talis persona creditrix sive actrix nullo modo regressum habere possit nec valeat super ipsam possessionem ultra precium quo ipsa possessio constitisset sive emptam fuisset, nec ex inde possit consequi